



14

COGITATIONES PHILOSOPHICÆ

DE

1750. 9. 4.

IURISPRUDENTIA NATURALI
IN STATU INTEGRITATIS ET CORRUPTO,
PRAEPRIMIS DE ORIGINE IURIS PERFECTI ET
IMPERFECTI EX STATU CORRUPTO
DISSERTATIO PRIOR, INAUGURALIS

IN QUA AGITUR

DE

STATU INTEGRITATIS ET CORRUPTO,
ET DE OBLIGATIONE ATQUE LEGE NATURALI
AD HOS STATUS RELATIS

QUAM

PRÆSIDE

ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ PRO-RECTORE
DN. JOANNE JOACHIMO LANGIO

MATHEMATUM PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, NEC NON
ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSORUM ET REGIÆ
SCIENTIARUM PORUSSICÆ MEMBRO

CONSENSU INCLYTI PHILOSOPHORUM ORDINIS

PRO GRADU MAGISTRI

DIE APRILIS 1750.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

H. L. Q. C.

AUCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIANUS WEBER
ISLEBIO-MANSFELDENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ
EX OFFICINA FRANCKIANA.

COGITATIONES PHILOSOPHICAE

URIS CRIMINALIA NATURALIA
IN AUREO ET CORPUS.
PRIMUS DE ORIGINIS IURIS PRACTICI ET
IMPERFECTI EX STUT CORRIPTO
DISCERNATIO PRO INAGGRITIS
STATUT INTEGRITATIBUS ET CORRIPTO
ET DE CONVICTORIE ATQUE LEGITIMATIA
AD HOS STATUTS RELATA.



CONTRIBUTIO MAGISTRI

THEODORI WEBER

EX LIBRIS UNIVERSITATIS SAXONIAE



PRO E M I U M.

D*isserationem philosophicam conscribere animus erat. Ne autem ex charta, ut dicunt, in papirum conicerem satis multumque tri-*
tas cogitavi de themate, hic usque nondum satis excuto, quod tamen neque nimis vulgare, neque nimis abstractum esset, atque ob difficultatem lectoribus nauseari crearet. Incidi sic in
turis prudentiam naturalem. Doctores ius naturale in cogens atque humanum, seu, quod idem est, in ius perfectum & im-
perfictum diuidere, nemo fere necit. Vnde enata est diuisio
officiorum erga alios in officia necessitatis & humanitatis, cui integrum fere ius naturae hypotheticum superstruere solent, cum tamen haec diuisio non in omni, sed corrupto saltim statu hypo-
A 2
thetico

Proemium,

P R O E M I U M.

thetico locum sibi vindicare possit. Confundunt itaque status naturales hypotheticos, perfectum, seu integratis, & imperfectum seu corruptum inuicem, quod tamen non sine magno viuis scientiae detimento fieri posse videtur. Enim vero, quum certum sit, omnes obligationes morales, leges, iuraque naturalia ex statu hominum morali deriuanda esse; ex diverso statu morali etiam diversas obligationes, leges, diuersaque iura naturalia prouenire debere, quis negare potest? Quid igitur certius est illo, quod etiam in statu integratis aliae obligationes naturales, aliae leges, aliaque iura, alia in statu corrupto hominibus competant? Quamuis autem haec extra omnem dubitationis aleam posita sint, tantum tamen abest, ut Doctores officia naturalia, iura legesque pertractando haec inuicem distinxerint, ut potius statum integratis plane omittant, & ubi ad ius hypotheticum pertractandum descendunt, statim leges, iura atque officia inculcent, quae non nisi ad statum corruptum applicari possunt, statui integratis autem prouersus refragantur. Inde sit ut leges, iura atque officia naturalia hypothetica, quae ponunt, non modo non cum iurisprudentia uniuersali cohaerent, verum etiam officiis absolutis saepe numero contradicant, pariter ac si natura hominis absoluta, naturae eiusdem hypothetice spectatae contradiceret, atque leges naturales contradictionis fundamentis superstruendae essent; cum tamen suauissima legum naturalium harmonia facile cognosci, atque rationes, ob quas & in quantum leges naturales hypotheticae ab absolutis diuersae esse debeant, perspici queant, si modo statum integratis a corrupto in iurisprudentia naturali hypothetica distinguere sataganus. Quae quoniam ita sint, operae premium duxi fore, si statum hominum moralem naturaliem atque hypotheticum rite evoluere, ac exinde statum integratis atque corruptum deducerem; pro horum diueritate differ-

PRO E M I U M.

ferentiam obligationum legum, iurium atque officiorum naturalium hypotheticorum ostenderem; atque tunc originem iuris perfecti & imperfecti ex statu corrupto distincte deriuarem. Vnde de Iurisprudentia naturali in statu integratatis & corrupto, praeprimis de origine iuris perfecti & imperfecti ex statu corrupto agere constitui. Regulae methodi synthetico-mathematicae, qua usus sum, totam tractationem in quatuor capita dispesci iusserunt. Nimirum Cap. I. agit de diverso hominum statu morali naturali, praeprimis perfecto, seu statu integratatis, atque corrupto. Cap. II. agit de obligatione atque lege naturali ad statum integratatis & corruptum relatis. Cap. III. agit de iure naturali, illiusque conditione in statu integratatis & corrupto. Cap. IV. denique agit de iure perfecto & imperfecto illiusque origine ex statu corrupto. Equidem initio animus erat, omnia haec in unam dissertationem cogere; ast cum de hac materia ulterius meditarem, satius duxi deinde, binis dissertationibus totam comprehendere tractationem; ita quidem ut quaevis duo capita comprehendat ex quatuor adductis. Vnde in hac prima dissertatione de statu integratatis & corrupto, atque obligatione & lege naturali ad hos status relativi disporto: altera, quae hanc proxime excipiet, aget de iure naturali in statu integratatis atque corrupto, praeprimis de iure perfecto & imperfecto illiusque origine ex statu corrupto. Ego vero quid praestiterim in hac tractatione, lectores aeque, reique periti iudicent, quos tamen, si diuidicare dicta cupiunt, ut totam perlegant tractationem, atque si forte errores reprehenderint, illos non voluntati, sed humanitati adscribant, iterum iterumque rogo.

A 3

CAP. I.



A decorative horizontal border consisting of five identical repeating units. Each unit features a central floral motif with a circular center, surrounded by stylized leaves and petals, flanked by vertical columns of smaller floral elements. The entire pattern is rendered in black ink on a light background.

CAPUT I.

*De diuerso hominum statu naturali, praepri-
mis integritatis & corruptio-*

§. L.

Quid sta-
tus?

Status in genere est complexus determinationum, quae enti actu competere concipiuntur. Determinati cuiusdam entis statum itaque explicaturus, cognitione determinationum, quae huic enti actu competere concipiuntur, instructus sit, necesse est.

Schol. I. Duo circa hanc definitionem monenda sunt, quae simul vltiorem illustrationem illius exhibere possunt. Posui pro genere in definitione: complexus determinatum; ideoque non determinauit vtrum haec determinations sint mutabiles an fixae, quippe ex hac determinatione species status resultant, definitioni generis non imiscendae. Deinde pro differentia specifica posui: quae enti actu competere concipiuntur. Hinc vtrum sint determinations intrinsecae, an extrinsecae, vtrum reuera actu competant enti, an tantum fingantur illi competere, indeterminatum relinquo; quippe & ex illis determinationibus species status propullulant. Qui norit diuisiones status in essentiale & accidentale, internum & externum, Doctoribus Juris nat. consuetas, atque, artis definiti gnarus, perspicit regulam Logicorum, qua definitio non per inferiorum enumerationem confi-

Cap. I. De diuerso hominum statu naturali, p^{re}primitis &c. 7

ci debet, nisi penuria terminorum generaliorum ob sit, illaque cum praesenti definitione conferre cupit, ex facili, eadem cum ratione sufficiente ita formatam esse, mihi concedet.

Schol. 2. Potest vero status entis dupli modo considerari. Est complexus determinationum, que enti actu competere concipiuntur: vel igitur considerantur omnes determinationes, que enti simul actu competere concipiuntur, vel tantum determinationes cuiusdam speciei: si prius posset status entis $\delta\lambda\kappa\omega\varsigma$ sumtus; si posteriorius, $\mu\epsilon\gamma\kappa\omega\varsigma$ sumtus, vel, si haec non placent, *totalis et partialis* dici. Quam diuisionem tam notio nostra, quam usus loquendi communis admittit. Atque tunc, si ens, cuius statutum $\delta\lambda\kappa\omega\varsigma$ sumtum consideramus, sit finitum, tam praedicta mutabilia, quam immutabilia eius hoc pertinent. Hoc modo Per-illust. L. B. de Wolff. ontol. lat. §. 705. definit statutum per coexistentiam mutabilium cum iisdem fixis, quam definitionem etiam repetit in Instit. Iuris nat. et gent. nuperime editis §. 8.

§. II.

Homo est spiritus cum corpore organico ex tellure conatus. Hinc determinations eius intrinsecas sunt *spiritus*, *status hominis*, *anima rationalis*, & *corpus organicum* ex tellure desumuntur: extrinsecas pro diuerso termino relationis differunt. Est ergo *status hominis* in genere complexus determinationum quae homini actu competere concipiuntur.

Schol. Periculosum atque difficile sane videtur consilium, hominis definitionem formaturi. Constat enim ex Pneumatologia, quam parum sit, quod huc usque de spiritibus reliquis finitis ex lumine naturae cognoscere nobis est datum. Ut adeo difficile, immo vix, ac ne vix quidem, tot atque tales hominis characteres inueniri queant,



8 Cap. I. De diuerso hominum statu naturali.

queant, quot qualesque sufficiunt ad hominem ab omnibus reliquis spiritibus distinguendum. At! at! salua res est. Hominem enim esse spiritum eiusque corpus organicum ex tellure esse defunctum certo scimus: utrum vero praeterea et alii spiritus, corporibus organicis ex tellure defunctis praediti, dentur in tellure, nescimus; vnde constat, nos hunc characterem tam diu pro completo venditare posse, quam diu hypotheses pneumatologicae nondum ad scientificam cognitionem adsurgunt. Atque sic definitionem hominis formaui pro mensura cognitionis, quam hoc usque de homine atque reliquis spiritibus finitis adquisuimus, quod et in reliquis omnibus scientiis fieri, neminim fugere potest, nisi illarum hospitem. Ceterum non adieci definitioni determinationem, quod homo sit spiritus *finitus*, propterea quod definitionem abundantem formare non placuit.

§. III.

Si ens quoddam agit, aut ex solo principio efficiens Spontaneitas quid? intrinsecō, sine extrinsecorum principiorum efficientium concurso agit, aut non: si prius *sponte agere* dicitur latiori significatiū, si posterius non-*sponte agit*. Atque si *sponte agit*, vel se adhuc ad alias actiones determinare potuit, vel non: si prius *stricte sponte agere* dicitur. Vnde *spontaneitas*, stricte sumta, est principium entis efficiens intrinsecum, quo ens se sine aliorum principiorum extrinsecorum efficientium concurso ad diuersas actiones determinare potest.

Schol. Vterque huius termini significatus a Philosophis receptus est. *Latiori* significatu sumvit illum Aristoteles atque sic tam inanimatis rebus, quam animatis spontaneitatem tribuit. Retinuerunt eundem Leibnitius in Theodicea P. III. §. 289, et Pet. III. L. B. de Wolff. Phychol. empir.

empir. §. 933. *strictiori significatu acutus Daries sumfit terminum in Elem. Metaphys. §. 39. Monadolog. qui etiam, quo hi significatus distinguuntur possent, in Instit. Iurisprud. Vniuers. §. 44. priori significatu terminum vertit die Selbstthätigkeit, posteriori die Willkür. Interim bene notandae sunt haec acceptiones, ob doctrinam de libertate: strictior enim iamiam contingentiam physicam actionum inuoluit, latior vero minus. Nos imposterum strictiorem retinebimus.*

Cor. 1. Hinc actiones stricte spontaneae sunt in potestate nostra, h. e. in se possibile nobis est, ut nos tam ad has quam ad alias actiones determinemus.

Cor. 2. Ex iis, quae in potestate nostra sunt, nil agimus, nisi quod nobis bonum, et nil non agimus, nisi quod nobis ut malum repreäsentamus (per Psychol.). Quum igitur actiones spontaneae sint in potestate nostra (per Cor. 1.): consequens est, ut spontanee agendo nihil agamus, nisi quod nobis tanquam bonum repreäsentamus et nihil non agamus, nisi quod nobis malum videtur.

§. IV.

Si igitur strictè spontaneè agimus, agimus ex cognitio ratione boni vel mali (§. 3. Cor. 2): haec cognitio vel distinctio quid? est, vel non: si prius spontaneè & intelligenter agimus, & adeo spontaneitas intellectualis. Spontaneitas intellectulis dicitur libertas.

Schol. Libertatis terminum valde vagum esse, ex Metaphysicis notum est. Nos stricto significatu terminum sumimus, quo dicitur libertas a necessitate, ad differentiam libertatis a subiectione, & libertatis a coactione, de quibus in Metaphysicis agitur. Interim consentit definitio nostra cum ea, qua libertas dicitur facultas sese praevia consultatione ad aliquid sponte determinandi, quippe intelligentia inuoluit consultationem; nec non cum ea, qua dicitur facultas ex

B

pluri-

Cap. I. de Diuerso hominum statu naturali,

pluribus possibilibus sponte eligendi, quod placet, quippe intelligentia atque spontaneitas quoque electionem inuoluunt.

Cor. 1. Requisita actionum liberarum igitur sunt spontaneitas, contingentia (§. 3. Schol.) arque intelligentia actuum. Si vero haec essentialia libertatis dicuntur, tunc spontaneitas latiori significatu sumi debet, alias iam inuoluit contingentiam (§. cit. Schol.) et vnum esse essentiale alterum inuolueret.

Cor. 2. Quum vero spontanee agendo nihil agamus, nisi quod nobis bonum, et nihil non-agamus, nisi quod nobis malum videtur (§. 3. Cor. 2.): hinc ex spontaneitate intellectuali nihil agimus, nisi quod nobis distinete ut bonum, et nihil non agimus, nisi quod nobis distinete ut malum repraesentamus.

Cor. 3. Actiones liberae sunt actiones ex spontaneitate intellectuali. Ergo libere agendo nil agimus nisi quod nobis distinete ut bonum et nihil non-agimus, nisi quod nobis distinete ut malum repraesentauimus.

Cor. 4. Quum autem, quatenus nobis aliquid distinete repraesentamus, non erremus (per Log.) Hinc quatenus libere agimus, eature non agere possumus, quae nobis mala sunt (per Cor. 3.), multo minus omnis error a liberte oriri potest, ut quidam erronee statuant.

§. V.

status moralis & physicus quid?

Iam dicta adPLICABIMUS ad statum moralem. Determinationes, quae nobis competit, vel competit nobis, quia libere agere possumus, vel non: priores *moraLES*, posteriores *non-moraLES* adpellantur s. *physicAE*. Complexus determinationum moralium, quae nobis actu competere concipiuntur, *statum moralem nostrum* exhibent, cui *non-moralis*, seu *physicus* opponitur.

Cor.

praeprimis integratis & corrupto.

Cor. 1. *Actiones* sunt determinationes actuales intrinsecas a vi propria pendentes: quatenus igitur in illis producuntur libere agere possumus, etenus sunt *actiones morales*.

Cor. 2. E. ad actiones morales non requiritur, vt actu liberae sint, sufficit, si modo libere agere potuissimus (per Cor. 1.)

Schol. Notari hoc ultimum meretur ob doctrinam de imputatione morali. Hac actiones Morales tantum pro objecto habet; hinc si actiones Morales semper actu liberae esse deberent, non possent moraliter imputari nisi actiones actu liberae. Iam quatenus libere agimus, eantibus non agimus, nisi quae nobis bona sunt (§. 4. Cor. 4.); hinc non nisi bona actiones imputari possent moraliter, quod falsum.

6. VI.

Natura entis est vis illius. Vim autem esse essentiam *Natura*, *na-
physicam*, seu principium determinationum actualium entis, *turale*, *na-
ex Metaphysicis* constat. Hinc natura entis est essentia phy- *tura homi-
nus*, *nica eiusdem*: vnde etiam natura definiri solet, *per vim entis* *per essentiam illius determinatam*. *Naturale enti est*, quod in *natura eiusdem rationem sufficientem habet*. *Natura homi-
nis igitur est vis hominis*, seu essentia eius physica; *naturale
homini*, quod in natura eiusdem rationem sufficientem habet.

Cor. Potest vis entis duplci modo considerari. Est illa es-
senta physica: hinc vim entis penitendo vel consideramus
solum essentialia physica illius, per quae constituitur, vel
etiam determinationes contingentes cum illa connexas:
si prius absolute: sin posterius hypothetice considerari dici-
tur. Vnde natura entis vel absolute, vel hypothetice
considerari potest. **Est** igitur natura hominis vel absoluta vel
hypothetica.

Schol. Essentiam hominis confistere in anima rationali, corpore organico ex tellure, illorumque nexu, iam sat B 2 notum.

notum est. Vnde et natura hominis in eo consistit. Quidquid igitur in anima rationali, corpore organico ex tellure, illorumque nexus rationem sufficientem habet, illud homini naturale est.

§. VII.

Status naturalis, ab solutus hypotheticus, hominis. Status est collectio determinationum, quae enti actu competere concipiuntur (§. I.). Determinationes autem, quae enti competere concipiuntur sunt vel naturales, vel non (§. 6.): si prius accipimus *statum naturalem entis*; fin posterius, *statum non-naturale*. Status naturalis vel complectitur tantum determinationes naturales absolutas, vel hypotheticas cum illis coniunctas (§. 6. Cor.). Si prius est *status naturalis absolutus*, qui stricte naturalis dicitur: fin posterius *status naturalis hypotheticus*, qui etiam *aduenitus* dicitur. Unde, quid sit *status naturalis hominis tam absolutus*, quam *hypotheticus*, patet.

Cor. 1. Status naturalis absolutus hominis igitur complectitur determinationes homini per naturam absolute spectatae competentes; hypotheticus autem complectitur determinationes homini per naturam hypothetice spectatae competentes.

Cor. 2. Quum igitur natura absolute spectata sit absolute necessaria et immutabilis; hypothetice spectata contingens et proinde mutabilis (per Metaph.): pater statum hominis naturalem absolutum esse immutabilem; hypotheticum mutabilem.

Cor. 3. Porro quum homines tanquam entia eiusdem speciei eandem habeant naturam absolute spectatam: hypotheticam vero tantum eatenus, quatenus sub iisdem circumstantiis considerantur: hinc omnes homines eodem gaudent statu naturali absoluto; hypothetico vero tantum eatenus,

tenus, quatenus sub iisdem circumstantiis deprehenduntur.

§. VIII.

y. VIII.

Status moralis complectitur determinationes morales, Status mo-
quae nobis actu competere concipiuntur (§. 5.). Hae igit-
ralis naturales sunt, vel non: si prius exhibent statum mo-
ralis abso-
luta &
ralem naturalem; si posterius statum moralem non-natura- hypotheti-
lem. Porro determinationes naturales vel sunt absolute, c.
vel hypotheticae (§. 6. Cor.): hinc & determinationes mo-
rales naturales, vel absolute vel hypotheticae sunt. Prio-
rum complexus dat statum moralem naturalem absolutum; po-
steriorum statum moralem naturalem hyporheticum.

Schol. Lubens breuitati studeo in euolutione harum notio-
num, quippe iam iam ex compendiis Iurisprudentiae
naturalis, rite compostis, illas supponere possum no-
tas. Adducere tamen illas debui, quippe quibus sequens
tractatio superstructa est. Interim ne quibusdam obscu-
rus euadam, notiones exemplis illustrabo. Ex Meta-
physicis constat, intellectum homini per essentiam ab-
solute spectatam competit: ope illius distinctas rerum
notiones formare, abstrahere, ideas comparare potest.
Hae facultates igitur distinctas notiones formandi, ab-
strahendi, atque ideas iniucem comparandi, homini per
naturam absolute spectatam competit ($\S. 6.$), adeoque
pertinent ad statum hominis naturalem abfolutum. Ex-
ercitium harum facultatum autem in genere competit
homini, quia libere agere potest; vnde illud pertinet
ad statum moralem naturalem hominis, et quidem abfo-
lutum. Quod autem homo hoc vel illo modo has fa-
cultates exerceat, pertinet ad statum moralem natura-
lem hypotheticum.

§. IX.

Finis status
naturalis
absoluti
hominum.

Finis status naturalis absoluti hominum est optima manifestatio gloriae DEI, et felicitas hominum per hanc obtinenda: Finis manifestatio optima gloriae ipsius, per spiritus potissimum obtinenda, atque felicitas spirituum cum illa induulso nexus coniuncta (per princip. Theol. nat.). Hinc quum homines quoque spiritus sint (§. 2.), etiam finis, ex quo DEVS illos produxit, est, quo gloria ipsius et per hos optime manifestetur, hi que felicitatem suam nanciscantur. Iam vero essentiae et naturae entium huius mundi sunt media, quibus summum Numen finem suum obtinere cupit (per Theol. nat. conf. Per-III. L. B. de Wolff Metaphys. germ. §. 1032.); hinc et hominum essentia atque natura sunt media, quibus, ut gloria DEI optimo manifestetur, hominunque felicitas obtineatur, summum cupit Numen. Status naturalis absolutus hominum autem consistit ex determinationibus homini per naturam absolute spectatam competentibus (§. 7.). Manifestum ergo est, finem status naturalis absoluti hominum esse optimam gloriae DEI manifestationem, atque felicitatem hominum per hanc obtinendam, q. c. d.

Cor. 1. Status moralis naturalis absolutus est etiam status naturalis absolutus (§. 8.) E. et finis status moralis naturalis absoluti hominum est optima gloriae DEI manifestatio, atque felicitas hominum per illam obtinenda.

Cor. 2. Si igitur homines fini status naturalis absoluti conuenienter agunt, certo gloriam DEI manifestant, atque felices evadunt.

Cor. 3. Porro constat, quidquid homines suscipiunt ad gloriam DEI manifestandam, atque propriam felicitatem adquirendam, consentire cum statu naturali atque morali absoluto hominum. Disentit autem a statu naturali absolu-

soluto eiusque fine, per quod gloriam DEI non manifestant, atque in perniciem suam prolabuntur.
Schol. Propositio haec, in §o demonstrata, maximi momenti est, quippe foecundum exhibet principium, ex quo conditionem actionum atque statuum hypotheticorum hominum diudicare nobis datur, ceu ex sequentibus ultius patebit. Interim potuisset etiam ex lege primaria Iuris naturae deduci.

§. X.

Status naturalis hypotheticus hominum complectitur determinationes, quae homini per naturam hypothetice spectatam competere concipiuntur (§. 7.). Hae determinations naturales hypotheticae autem vel consentiunt cum statu naturali absoluto, vel non: si prius etiam status ipse naturalis hypotheticus consentit cum statu naturali absoluto; si posterior dissentit ab eodem: priorem *statum hypotheticum perfectum*, seu *integritatis*; alterum *statum hypotheticum imperfectum*, seu *corruptum simpliciter* vocabimus.

Schol. Incidimus hic in palmarias divisiones status naturalis hominis, ad quas explicandas antecedentia euolui, et quibus sequens tractatio innititur tota. Vnde eo maiorem hic curam adhibendam habemus, quo minus DD. Iuris nat. illas divisiones attendunt. Qua quidem ex causa tam circa nomina, quam circa ipsas notiones quaedam monebo. Nomina quod adtinet, illa regulis logicis conuenienter ita formau. Enim vero quum consensu perfectionem, dissensus imperfectionem exhibeat; hinc etiam consensu status naturalis hypotheticus cum statu naturali absoluto perfectio- nem, dissensus illorum imperfectionem exhibere debet. Vnde rei conuenienter prior status vocatur status hypotheticus perfectus, alter status hypotheticus imper- fectus:

fectus. Atque quin status perfectus, quem definitiū sit idem ille felix status, qui primis parentibus nostris teste S. S. in Paradiso saltim ad tempus competit; imperfectus autem ille infelix status, in quo post lapsum comprehendimur, vt infra demonstrabimus; patet etiam priorem vsui loquendi conuenienter vocari posse statum integratatis, alterum statum corruptum; ideo his terminis imposterum vtemur. Quod autem ipsas notiones adtinet, easdem per arbitriam determinationem formauit; vnde realitas illarum secundum regulas logicas erit ostendenda, quod statim fieri. Equidem et antecedentes notiones eadem via formaui; interim quia iamam cognitae atque receptae sunt haec diuisiones, vt harum realitatem monstrarem, non habui opus.

§. XI.

Datur status integratiss & corruptus hominum: Nam status naturalis absolutus complectitur tantum eas determinaciones, quae homini per naturam absolute spectatam competere concipiuntur, (§. 7.); adeoque non nisi essentialia & ea, quae per haec essentialia sola determinantur, attributa puta. Hypotheticus autem status complectitur determinationes, quae homini per naturam hypothetice spectatam competit (§. cit.); adeoque mutabiles (§. cit. Cor. 2), quae non per solam essentiam hominis determinantur, sed simul a circumstantiis agentis dependent (per Metaph.). Fieri ergo potest, vt quaedam ex illis mutabilibus determinacionibus consentiant, cum natura absolute spectata aliae dissentiant ab eadem: consequenter etiam possibile est, vt status hypotheticas naturalis hominis consentiat cum eiusdem statu naturali absoluto, vel dissentiat (§. 6. & 7). Quum igitur ex priore status integratiss, ex posteriore status corrutus

ptus veniat (§. 10.); manifestum est, possibilem esse, seu, quod idem est, dari statum integratis atque corruptum hominum q. e. d.

Schol. 1. Quum S. S. de actualitate utriusque status testetur, de possibilitate eorum abunde homines conuincit.

Schol. 2. Notandum est, aliud esse: *status corruptus dissentit a statu absoluto*, et aliud: *status corruptus contradicit absolu-*
tum. Posterior impossibile est, quippe tunc statutus cor-
ruptus cum absoluto simul actu stare non posset: prius autem possibile est. Nimurum *dissentientia statu*s, si non per rationem communem determinantur: *contradicunt sibi*, si ex oppositis rationibus determinantur; atque tunc numquam simul stare possunt (per princ. Contrad.) Dissentire autem possunt, si ex rationibus diuersis qui-
dem, sed disparatis determinantur, atque sic adhuc si-
mul stare possunt. Hoc, si iij considerassent, qui dissen-
tientia explicandam definiunt, fortassis generaliorem for-
massent definitionem, reique magis conuenientem.

§. XII.

Status naturalis absolutus non potest diuidi in perfectum et imperfectum. Non perti-
et imperfectum. Status naturalis absolutus complectitur eas determinationes tantum, quae homini per naturam abso-
lute spectatae competere concipiuntur (§. 7.); adeoque essen-
tialia et attributa tantum. Iam haec per solam notionem hominis determinantur (per deft.): ergo varia status natura-
lis absoluti hominis ex communi fundamento determinan-
tur omnia; consequenter consentire debent (§. 11. Schol. 2.). Quam ob rem, quum consensu det perfectionem, status na-
turalis absolutus semper perfectus esse debet. Ergo status naturalis absolutus non potest diuidi in perfectum et imperfe-
ctum. q. e. d.

C

Cor.

Cor. Patet exinde ratio cur hanc diuisionem tantum ex statu hypotheticō hominis euoluerim (§. 10.).
Schol. Eadem propositio poterat etiam ex fine status natura-
lis absoluti demonstrari. vid. §. 9.

§. XIII.

*Sed tan-
tum ad sta-
tus contin-
gentes.* etenim pertinent ad statum hypotheticum tantum
 (§. 12. Cor.). Iam hypotheticus status est mutabilis et con-
 tingens (§. 7. Cor. 2.). E. et status integratatis et corruptus
 hominum sunt contingentes. q. e. d.

§. XIV.

*Status pri-
maeus, quocum DEVS hominem creauit, e-
rat status hypotheticus, et quidem integratatis. Homo, quum
 fit spiritus finitus (§. 2.), est etiam ens finitum: ergo non-
 dum per essentiam suam omnimode determinatum, seu non-
 dum est indiuiduum per essentiam suam (per Ontol.): conse-
 querter praeter essentiam et attributa, quae in essentia sola fun-
 dantur, adhuc aliae determinationes mutabiles ad eius indiui-
 duationem requiruntur. Cum autem ad existentiam homi-
 nis eius indiuidatio requiratur (per Ontol.): hinc ad existen-
 tiā hominis praeter essentiam et attributa eius adhuc deter-
 minationes mutabiles requiruntur. Iam complexus harum
 determinationum mutabilium dat statum hypotheticum;
 immutabilium autem absolutum (§. 7. Cor. 2.), hinc prae-
 ter statum absolutum adhuc status hypotheticus ad existen-
 tiā hominis requiritur: consequenter cum per creationem
 homo ad existentiam deducatur (per def. creat); etiam
 DEVS hominem creauit cum statu quodam hypotheticō
 cum absoluto coniuncto. q. e. p.*

Jam

Jam status hypotheticus hominis vel est integratis vel corruptus (§. 10.): hinc DEVS hominem creando vel cum statu integratis vel cum statu corrupto producere debuit. DEVS autem, nullius mali auctor, (per Theol. nat.) nec poterit esse auctor status corrupti hominum: ergo hominem cum statu integratis creare debuit (per oppof.) q.e.a.

Cor. 1. Si igitur homines ex statu illo integratis in corruptum transferunt, illud non DEO, sed hominibus tribendum.

Cor. 2. Quum autem, quod substantiae praeter existentiam suam adhuc contingenter competit, ob actiones illi competit (per Ontol.); hinc patet, homines tantum ob actiones suas ex statu integratis in statum corruptum transfere posse.

Schol. Nemo non videt, me hic ad lapsum protoplastorum respicere. *Lapsus* enim est talis actio, qua homines ex statu integratis se in statum corruptum ponunt. Hinc homines ex statu integratis in corruptum tantum ob lapsum ponи possunt, et positi sunt.

§. XV.

Cognitio perfectionis dat *adpetitum seu inclinationem*: Felicitas et cognitio autem perfectionis ad nos relatae dat *voluptatem, beatitudinem*. Status veraevoluptatis *felicitas* est, quae ergo oritur ex cognitione perfectionum ad nos relatarum, seu, quod idem est, ex cognitione possessionis veri boni. Atque tunc quidem vel simul cognoscimus non impeditum progressum ad maiores perfectiones, nobis competere, vel non: si prius *beati* sumus, et competit nobis *beatitudo*, quae igitur tamnon-impeditum progressum ad maiores perfectiones, quam cognitionem illius inuoluit.

C 2

Schol.

Schol. Ex opposito facile cognoscitur, quid sit auersatio, tandem, infelicitas, damnatio; vnde noua euolutione harum notionum non est opus.

§. XVI.

Felicitas hominum in statu integratatis homines sunt felices, & si in eodem perseverant, redduntur beati: statu integratatis consentit cum statu naturali absoluto hominum (§. 10.): ergo ita debet esse comparatus, vt in eodem finis status naturalis absoluti obtineri possit, & actu obtineatur. Iam finis status naturalis absoluti est optima manifestatio gloriae DEI, et felicitas hominum per illam obtainenda (§. 9.). E. in statu integratatis homines sunt felices. q. e. p.

Ponas autem homines in statu integratatis perseverare, tunc etiam status hypothetici subsequentes consentiunt cum antecedente statu integratatis: consequenter homines non solum manent felices (per membr. 1.), sed etiam non-impeditum ad maiores perfectiones faciunt progressum: ergo redduntur beati. q. e. a.

§. XVII.

In statu corrupto homines sunt infelices, & si in eodem perseverant, damnantur. Haec propositio ex oppositione manifesta est (vide Schol. ad §. 15). Vnde noua demonstratione non habet opus.

Schol. Haec funt, quae de diuerso hominum statu morali naturali, praemissis perfecto, seu integratatis et corrupto heic euoluere volui, tanquam principia subsequentis tristationis. Sed quorsum haec disputauit? nonne per ambages scopum propositum consequi studeo? Multi fortassis ita iudicabunt. Sed hi erunt fere, qui regularum logicarum praemissis methodi synthetico-mathematicae exper-

expertes, nihil rectum iudicant, nisi quod ipsorum methodo tumultuaria conuenit. Horum autem iudicia non metuo. Quamuis enim DD. Jurisprud. nat. status integritatis atque corrupti considerationem prorsus negligere soleant, tamen frequens tractatio, qua conditionem obligationum, legum, atque iurium naturalium in his statibus ostensurus, atque exinde originem iuris perfecti et imperfecti feliciori forsan via, atque hoc usque factum est, deducturus sum, satis aperte docebit, me non per ambages scopum propositum esse consequutum. Hinc ulterius pedem moueo, atque conditionem obligationis moralis atque legum naturalium in statu integritatis et corrupto hominum explicare adlaborabo.

CAPUT II.

De obligatione atque lege naturali ad statum integritatis & corruptum hominum relatis.

§. XVIII.

Terminus *obligationis* vagum esse ex Iurisprudentia Universali abunde constat, nec fugere potest quempiam huius scientiae gnarum, quas difficultates ambiguitas illius pepererit. Nos, has difficultates euitaturi, primum generalissimam notionem suppeditabimus, specialiores deinde regulis methodi conuenienter ex illa deducaturi, donec ad illam deueniamus, quam nostram faciemus. Latissime scilicet ad aliquid *obligati esse* dicimus, quatenus necessitatem idem agendi percipimus; et *obligatio* est necessitas agendi. Haec autem necessitas agendi vel consideratur respectu agentis, vel respectu principii necessitantis: si prius dicitur *obligatio passiva*, sin posterius *obligatio activa* vocatur. Obligatio passiva etiam simpliciter *obligatio* dicitur.

C 3

Schol.

Cap. II. De obligatione atque lege naturali

Schol. Diuisio obligationis in actiuam et passiuam non est diuisio logica stricte dicta, sed tantum diuisio respectus: vnde vna eademque obligatio pro diuerso respectu actiuam et passiuam est, prouti nimur vel ad subiectum agens, vel ad principium necessitans respicimus.

§. XIX.

Obligatio
adformati-
ua & nega-
tiua.

Obligatio est necessitas agendi (§. 18.). Ergo differt 1) prouti necessitas actionum 2) prouti actiones ipsae differunt. Quod actiones adtinet, illae sunt vel commissuae seu positiuae, quae actu producuntur, vel omissuae, seu priuatiuae, quae opposita ratione se habent: priorum obligatio adformatiua, posteriorum negatiua dicitur.

§. XX.

Necessitas
absoluta &
hypotheti-
ca.

Sivero obligationem ratione necessitatis diuidere cupimus, primo species necessitatis euoluere debemus. Pertinet quidem haec tractatio proprie ad Metaphysicam, vbi huius doctrinae sedes est. Interim quia nobis potissimum cum necessitate hypothetica res erit, cuius species autem nondum sufficienter euolutas inuenimus; hinc easdem hic, breuissimis tamen, euoluere nos oportet. De quo oppositum praedicari non potest, seu cuius contradictorie oppositum est impossibile, illud in genere dicitur *necessarium, certum, determinatum, contingens, incertum, indeterminatum* opponitur; hinc *necessitas* est affectio vi cuius oppositum de aliquo praedicari nequit; cuius oppositum est *contingentia*. Oppositum autem de aliquo vel ob definitionem entis, vel ob alias rationes praedicari nequit: si prius vocatur *necessitas absoluta* seu stricte dicta: sin posterius, *necessitas hypothetica*, quae etiam in oppositione ad absolutam saepe *contingentia* dici solet.

Schol.

Schol. Has diuisiones necessitatis, vt pote iam iam notas, vltierius explicare nolo. Vide interim sis *Bilfingeri Dilucidat.* *Seet. I. Cap. II.*

§. XXI.

Necessitas, quam obligatio ponit, est tantum necessitas hypothetica: etenim obligatio ponit necessitatem agendi (§. 18.). Adplicatur Actiones autem enti non ob solam definitionem, sed et ob certas circumstantias competere ex Metaphysicis patet. *E. necessitas agendi est necessitas, quae non ob definitionem solam ponitur; consequenter non absoluta, sed hypothetica (§. 20.). Ergo et necessitas, quam obligatio ponit, est tantum necessitas hypothetica, q. e. d.*

Schol. Si igitur ex necessitatibus conceptu species obligationis euoluere volumus, necessitatis hypotheticae species primum considerare debemus.

§. XXII.

Necessitas hypothetica non per solam definitionem, sed et ob alias rationes ponitur (§. 20.). Rationes haec sunt vel *intrinsecæ vel extrinsecæ: si prius est necessitas interna: sive species posterioris, externa.* Vtroque casu vel sunt ex spontaneitate desumptæ, vel non: si prius; est *necessitas moralis in genere;* sive posterioris *necessitas physica.* *Necessitas moralis igitur ponitur per cognitionem boni et mali (§. 3. Cor. 2.)* Haec cognitio vel distincta est, vel non: si prius est *necessitas moralis stricte sumta;* posteriorem *necessitatem sensualem doctrinae gratia vocabimus.*

Cor. 1. Hinc tam necessitas physica, quam moralis potest esse interna et externa.

- 2. *Moralis,* quia per cognitionem boni et mali ponitur, cum adpetitu vel auersatione coniuncta est (§. 15.).

Cor.



Cap. II. De obligatione atque lege naturali

Cor. 3. *Moralis in specie*, quia per distinctam cognitionem boni vel mali ponitur, ponitur per motiva cum actionibus connexa (per def. motiuor.) 2) quia rationes illius ex spontaneitate intellectuali desumuntur, supponit libertatem (§. 4.) 3) atque ideo tantum ad actiones morales se extendit (§. 5. Cor. 1.), vnde etiam stricte moralis dicitur.

4. *Sensualis* nimirum quidem cognitione boni et mali, sed non distincta, adeoque confusa seu sensitiva cognitione vt plurimum, vnde et sensualem dixi necessitatem. Interim cognitio obscura hic non excluditur, quippe stimuli naturales, huic innixi, etiam ad hanc necessitatem aliquid conferunt.

Schol. Breuissimis hic tantum eas propositiones ex notionibus deduxi quibus ad obligationem explicandam opus habeo. Interim maximi momenti sunt haec principia. Qui illa cum principiis psychologicis conferre cupit, plures adhuc inferre poterit conclusiones facillimo negotio, atque tunc iudicare poterit quam foecundae sint adductae notiones.

§. XXIII.

Iam dicta applicabimus iterum, vt ad specialiores notiones de obligatione veniamus. Obligatio est necessitas agentis (§. 18), & quidem hypothetica (§. 21.). E. differre debet, Prouti necessitas hypothetica differt, Haec autem est vel interna vel externa (§. 22). Si prius oritur *obligatio interna*: sin posterius, *obligatio externa*. Vtroque casu necessitas vel erat moralis vel physica (§. cit.): prior dat *obligationem moralis in genere*, posterior *obligationem physicam*. Moralis necessitas vel erat stricte moralis, vel sensualis (§. cit.). Ex priore etiam *obligatio stricte moralis*, ex posteriore *obligatio sensualis seu animalis* oritur. *Obligatio moralis stricte sumpta non est xxiv* dicitur *obligatio*.

Schol.

Schol. Perspicuitatis gratia notiones exemplis illustrabo. Ita homo famus interne obligatur, vt esuriat, si per biduum ieiunavit, quia his sub conditionibus ex necessitate interna esurit: externe vero quis obligatur, vt dolorem sentiat, si ab alio vehementer percutitur, quia dolor eiusque sensatio his sub circumstantiis ex necessitate externa venit. Atque quoniam in utroque casu necessitas non ex sponte nitate venit, physica est; et utraque obligatio est physica. (§. 22.) Moraliter quis obligatur ut suum cuique tribuat, quia ut hoc faciat tanquam bonum sibi repraesentare debet, atque posita hac cognitione boni, ex necessitate morali suum cuique tribuit. Si ipse hanc cognitionem boni adquirit, moraliter interne obligatur; si vero haec cognitio ab alio ipsis excitatur, tunc externe moraliter obligatur. Iam haec cognitio boni potest distincta esse, et tunc stricte moraliter obligatur: potest vero etiam esse confusa atque tunc adest obligatio sensitiva, seu animalis, quia tunc homo eodem modo obligatur moraliter, ac animalia obligantur.

Cor. Quid quid igitur valet de necessitate hypothetica eiusque speciebus, illud etiam valere debet de obligatione eiusque speciebus.

§. XXIV.

Quidquid valet de necessitate hypothetica, eiusque spe- Consecta-
ciebus, illud etiam de obligatione eiusque speciebus valet ria ex no-
(§. 23. Cor.). Hinc sequentia patent tionibus de obliga-
consecataria. tione deducuntur.

- 1) Obligatio physica et moralis potest esse externa et interna (§. 22. Cor. 1.)
- 2) Obligatio moralis in genere sumpta 1) requirit actiones stricte sponteas atque hinc ad actiones physice necessarias moraliter obligari non possumus (confer. §. 3. Schol.)
2) cognitionem boni et mali (§. 22. Cor. 2.) 3) cum adipicitu vel auersatione coniuncta est (§. cit.), atque hinc

D
nemo

nemo moraliter potest obligari nisi qui cognitionis boni et mali capax est.

3) *Obligatio moralis stricte sumta* requirit 1) ea, quae obligatio moralis in genere sumta requirit. 2) Praeterea cognitionem distinctam boni et mali, atque hinc ponitur per motiu cum actionibus connexa, 3) supponit libertatem, vnde spiritibus tantum competere potest. 4) Ad actiones morales tantum se extendit. Vnde et ex statu hominis morali concipienda est. Patent haec ex (§.22. Cor. 3.)

4) *Obligatio animalis*: 1) ea requirit, quae obligatio moralis in genere sumta requirit (n. 1.), 2) quia autem cognitione confusa boni et mali inititur (per §. 22. Cor. 4.); hinc per cognitionem sensitivam atque affectus hoc modo obligari possunt. 3) Nobis cum animalibus communis est (per num. praece.), vnde etiam *animalis* dicitur.

5) *Obligatio physica interna* requirit actiones interne physice necessarias, quorum mechanismus pertinet; externa requirit actiones physice externe necessarias; non autem se extendit ad actiones morales, qua tales (§.22.).

Schol. Sic accepimus propositiones determinatas de obligatione, atque ambiguas termini sublata est. De obligatione morali stricte dicta, quae *nat e[st] ex[n]on* obligatio dicitur (§.23.), imposterum agemus.

§. XXV.

Obligatio
naturalis et
positiva.

Obligatio moralis ponitur per motiu cum actionibus moralibus connexa (§. 24. n. 3.). Haec motiu autem vel ex natura actionis atque agentis defumuntur, vel ex voluntate eiusdem: si prius est *obligatio moralis naturalis*: fin posterius, *obligatio moralis positiva*.

Cor.

Cor. 1. Motuum est cognitio distincta bonitatis vel prauitatis, quam de actione adquirere possumus. Hinc si motuum ex natura actionis atque agentis desumitur, ntitur bonitate vel prauitatem actionis quae ipsis ob naturam suam et agentis tribuenda. Si autem ex voluntate cuiusdam desumitur, tunc ntitur bonitate vel prauitatem quae actioni per voluntatem illius tribuitur, a quo motiva dependent.

Cor. 2. Quum igitur in obligatione naturali motiva ex natura actionis et agentis; in positiva autem ex voluntate cuiusdam desumantur. Hinc per naturam moraliter obligamus, per bonitatem vel prauitatem, quam ex natura actionis ad nostram relata distincte cognoscere possumus: positiva autem obligamus per bonitatem vel prauitatem actionis ex voluntate obligantis concipiendam (per Cor. 1.).

Cor. 3. Porro quia obligatio moralis ex statu hominis morali concipienda est (§. 24. n. 3.); hinc obligatio moralis naturalis ex statu hominis morali naturali concipi debet.

§. XXVI.

Obligatio naturalis ex statu morali naturali concipi debet (§. 25. Cor. 3.): hic autem est vel absolutus, vel hypotheticus (§. 8.). E. et obligatio naturalis vel ex statu morali naturali ab soluto, vel hypothetico concipi debet: prior dicitur quid? obligatio naturalis absoluta, seu connata; posterior obligatio naturalis hypothetica, seu adquisita.

Cor. 1. Quia igitur homines omnes eodem gaudent statu naturali ab soluto (§. 7. Cor. 3.): hinc etiam eandem habent obligationem naturalem absolutam, et est obligatio universalis, quae omnes homines stringit.

Cor. 2. Porro status naturalis absolutus est immutabilis (§. 7. Cor. 2.): hinc et obligatio naturalis absoluta immutabilis est, nec profinde vixquam ab illa liberari possumus.

Cor. 3. Obligatio naturalis hypothetica tantum durante statu hypothetico durat: quia autem hic in se mutabilis est. (§. 7. Cor. 3.)

D 2

Cor.

Cor. 2.) ; hinc et obligatio naturalis hypothetica in se mutabilis est. Nimirum mutato statu hypothetico mutatur, et cessat, cessante statu hypothetico.

Cor. 4. Quum autem obligatio moralis pro diuersitate statuum moralium differat (§. 25. Cor. 3.) : status hominum hypotheticus autem vel integratatis vel corruptus sit (§. 10.): hinc et obligatio naturalis in statu integratibus ab ea differre debet, quae hominibus in statu corrupto competit.

Schol. Ex iis, quae in Corr. deduximus diiudicari potest controuersia, *utrum et in quantum ab obligatione naturali liberari possumus?* Scil. ab obligatione naturali absoluta numquam liberari possumus (per Cor. 2.); ab hypothetica autem cessante statu hypothetico liberamur (per Cor. 3.). Quia autem durante statu hypothetico etiam statuant Doctores, nos ab obligatione naturali non posse liberari.

§. XXVII.

Lex naturalis & positiva, quid? *Regula* est iudicium, iuxta quod varia determinantur. *Regula actionum* est iudicium, iuxta quod actiones determinantur; et haec generalissimo significatu *lex* dicitur. Pro diuersitate actionum igitur lex diuersa esse debet. Hae autem vel sunt actiones spontaneae vel non: si prius est *lex strictiori significatu*. Actiones spontaneae autem vel sunt morales, vel non: si prius; accipimus regulam actionum moralium; et haec vocatur *lex moralis* seu *lex strictissime sumta*. Iam actiones morales determinantur per obligationem moralem (§. 24. n. 3.). Hinc *lex moralis est regula, cui actiones attemperare quis moraliter obligatur*. Obligatio moralis autem est vel naturalis vel positiva (§. 25.): si prius exhibet legem naturalem: sive posterius, *positivam*. Naturalis lex vel inuoluit obligacionem naturalem absolutam, vel hypotheticam: si prius est *lex*

lex naturalis absoluta; si posterius, lex naturalis hypothetica.

Cor. 1. Lex moralis igitur pro obiecto habet actiones morales: hinc actiones physicae legi morali haud subsunt.

Cor. 2. Lex naturalis est moralis. E. quoque tantum ad actiones morales se extendit (per Cor. 1.); et est regula secundum quam actiones nostras per naturam obligamur dirigere.

Cor. 3. Lex positiva est regula, secundum quam actiones nostras morales dirigere obligamur per voluntatem cuiusdam (§. 25.).

Cor. 4. Ad quod per naturam obligamur, ad idem tendit lex naturalis. Iam per naturam obligamur, ut bona faciamus et mala omittamus (§. 25. Cor. 2.). Ergo et lex naturalis eo tendit, ut bona faciamus, et mala omittamus.

Cor. 5. Porro quum obligatio moralis ex statu hominis morali concipienda sit (§. 24. n. 3.); hinc et lex naturalis concipienda est ex statu morali hominis.

§. XXVIII.

Leges naturales se extendunt tantum ad actiones, quae sunt Obiectum in potestate nostra: etenim leges naturales se extendunt tam legum naturalium, tam ad actiones morales (§ 27. Cor. 1.). Iam actiones morales ea ratione dicuntur, quatenus in illis producendis libere agere possumus (§. 5. Cor. 1.), consequenter sunt actiones spontaneae (§. 4.). Quam ob rem, cum actiones spontaneae sunt in potestate nostra (§. 3. Cor. 1.), consequens est, ut leges naturales se tantum ad actiones extendant, quae sunt in potestate nostra, q. e. d.

Schol. Fieri quidem potest, ut, quod antecedenter et in se in potestate nostra erat, consequenter non amplius sit in potestate nostra, ob actiones, quas suscepimus. Sed tunc nobis tribuendum, quod eius modi actiones suscepimus.

§. XXIX.

Obedientia & vio-
latio le-
gum.

§. XXIX.

Actiones nostrae vel ad legem quandam referri possunt, vel non: si hoc dicuntur *permisae*: fin illud, vel ita comparatae sunt, ut cum legi consentiant, vel non: si prius sunt *legi conuenientes*, fin posterius, *actiones legi repugnantes*. Ex priori concipiatur habitus actiones suas legibus conuenienter producendi, quae est *Obedientia legis*, ex posteriori *Violatio legis seu transgressio*.

Leges na-
turales a
nobis ob-
seruari
possunt in
fe.

In se possibile est, ut legibus naturalibus obseruandis omnibus obedientiam praestemus. Leges naturales enim se extendunt tantum ad actiones, quae sunt in potestate nostra (§. 28.), adeoque ad actiones quas legibus conuenienter dirigere possumus (§. 3. Cor. 1). Iam habitus actiones legibus conuenienter producendi est obedientia legis (§. 29.). Ergo in se possibile est, ut legibus naturalibus omnibus obedientiam praestemus q. e. d.

Schol. Dices forsan, hanc propositionem repugnare adsertis eorum DD. qui collisionem legum naturalium statuunt. Sed notes ob id sequentia, quae dubium hoc resoluent.

Collisione le-
gum natu-
ralium, &
rationes e-
ius genera-
tum indi-
cantur.

§. XXXI.

Si pluribus legibus simul satisfaciendum est, tunc vel omnibus obedientiam praestare possumus in casu dato, vel non: ultimo casu leges dicuntur collidi. Vnde *collisione legum* esset adfectio, vi cuius iis legibus, quibus simul satisfaciendum, obedientiam praestare non possumus. *Collisione legum naturalium* ergo esset adfectio, vi cuius iis legibus naturalibus, quibus simul satisfaciendum, obedientiam praestare non possumus. Si autem legibus quibus simul satisfaciendum, obedientiam omnibus praestare non possumus; ratio adesse debebet

ret (per princ. rat. suff.). Haec vel in legibus ipsis esset, vel non: si posterius, tunc vel in illis esse deberet, quibus leges latae sunt vel non: posterius absurdum est, quippe sic nulla adfæt ratio collisionis. Ergo ad prius recurrentum: nimirum ratio collisionis tunc in iis esse deberet, quibus leges latae sunt; scilicet in defectu virium. Hic autem duplex casus iterum cogitari potest. Velenim obedientia illis omnibus praefari non posset, quia in se non haberent vim sufficientem ad obedientiam praefandam, quibus latae sunt, vel ob impedimenta vi in se sufficienti posita. Singula membra videbimus.

§. XXXII.

Non datur collisio legum naturalium talis, cuius ratio esset in ipsis legibus naturalibus. Enim vero si leges naturales collidere ponas, impossibile esse debet, ut iis omnibus simul obedientia praefetur ab iis, quibus latae sunt (§. 31.). Iam si ponas rationem collisionis in ipsis legibus esse positam, tunc ob conditionem ipsarum legum impossibile esset, ut omnibus obedientia praefaretur, adeoque sibi contradicere deberent. Atqui omnes leges naturales contendunt, ut bona faciamus et mala omittamus (§. 27. Cor. 4.); hinc sibi contradicere non possunt (per def. contrad.): consequenter non datur collisio legum naturalium talis, cuius ratio esset in ipsis legibus naturalibus q. e. d.

Schol. De legibus positius aliud dicendum. Fieri potest, ut legislator, legum antecedentium immemor, nouas condat, quae prioribus contradicunt; adeoque in legibus positius cogitari potest collisionis talis, cuius ratio est in ipsis legibus. Exempla si cupis, vide L. 41. ff. de pign. act. & L. 22. ff. de pign. & hypothec.

§. XXXIII.

Continua-
tio.

Leges naturales nec ob eam rationem possunt collidere, quia in se vires sufficientes nobis deficerent, ad obedientiam illis praefstandam: Eum vero leges naturales se tantum extendunt ad actiones que sunt in potestate nostra (§. 28.); unde in se possibile erat, ut omnibus legibus naturalibus obseruandis obedientiam praestaremus (§. 30.). Si vero vires sufficientes ad obedientiam illis praefstandam nobis in se deficerent, non esset in se possibile, ut omnibus obedientiam praestaremus. Hinc leges naturales nec ob eam rationem possunt collidere, quia in se vires sufficientes nobis deficerent, ad obedientiam illis praefstandam q. e. d.

Schol. De legibus positivis iterum aliud dicendum. Fieri enim potest, ut legislator a subditis poscat, quae praestare in se non possunt, ob rationes non quidem laudabiles; adeoque collisio talis, quam so supposuimus; locum inuenire potest in legibus positivis.

§. XXXIV.

*Quo respe-
ctu collide-
re possunt.
Leges naturales, si collidunt, tantum eam ob rationem col-
lidere possunt, quia viribus nostris, in se ad obedientiam illis
praefstandam sufficientibus impedimenta posita sunt. Etenim
ratio collisionis non esse potest in ipsis legibus naturalibus
(§. 32.), nec in eo, ac si per se nobis vires sufficientes ad
obedientiam illis praefstandam deficerent (§. 33.). Ergo si le-
ges naturales collidunt, tantum eam ob rationem collidere
possunt, quia viribus nostris in se sufficientibus impedimen-
ta posita sunt (§. 31.) q. e. d.*

*Schol. Non dicam de consensu DD. in doctrina de collisione
legum naturalium. Qui ad propositiones adductas
atque demonstrationem earundem attendit, is non
solum*

solum conuincetur, de veritate illarum, sed etiam perspiciet, nos ita propositiones magis determinatas formasse ac quidem communiter in hac doctrina a DD. fieri solet. Posset iam ex dictis facile arque feliciori forsan fuc-
cessu doctrina de exceptione ob collisionem legum insti-
tuenda explicari; sed scopus propositus hoc non per-
mitst. Interim hic hypothetice adhuc loquutus sum; at-
que proinde non dum determino, vtrum actu eiusmo-
di collisio legum naturalium inueniatur, nec ne? Ex fe-
quentibus autem, vbi haec theorematum ad statum inte-
gratatis et corruptum adplicabimus, patet, quod, et
in quonam statu eiusmodi collisio legum naturalium actu
inueniatur.

§. XXXV.

Obedientia legibus naturalibus omnibus praestata reddit nos felices violatio illarum vero infelices. Enim vero si legibus naturalibus obedientiam praestamus, actiones nostras illis ^{tia legibus nat. praefit} reddit conuenienter producimus (§. 29.), adeoque ea agimus, quae nobis bona, eaque omittimus, quae nobis mala sunt (§. 27. Cor. 4.); consequenter possessionem veri boni adquirimus. Quam ob rem cum ex cognitione possessionis veri boni fe-
licitas oritur (§. 15.), sequitur, vt obedientia legibus natu-
ralibus praestita nos reddit felices q. e. p.

Si autem leges naturales violamus, ea agimus, quae legibus naturalibus repugnant (§. 29.): consequenter committimus, quae nobis mala sunt, et omittimus, quae nobis bona sunt (§. 27. Cor. 4.); atque proinde possessionem veri mali nobis contrahimus. Atqui ex cognitione possessionis veri mali oritur infelicitas (§. 15.). Ergo violatio legum naturalium nos reddit infelices q. e. a.

Cor. 1. Si igitur continuo legibus naturalibus obedientiam praestare possemus, tunc non impeditum progressum ad

E

maio-

maiores perfectiones facheremus, adeoque beati foremus (§. 15.).

Cor. 2. Ex opposito constat, nos ob continuatam violationem legum naturalium damnari (cf. Schol. ad §. 15.).

Schol. Obiiciis forsan: si ob obedientiam legibus naturalibus omnibus praestitam felices fieri possemus, atque beati, tunc etiam naturali modo felicitatem atque beatitudinem nancisci possemus, quod tamen S. S. repugnat, quae nos edocet, ex gratia DEI nos demum euadere posse felices. Sed concedo antecedens, nego autem consequentiam, quod tunc dicta S. S. repugnat. Verum quidem est, quod, quia in se possibile est, ut legibus naturalibus omnibus obedientiam praestemus, etiam in se possibile sit, ut naturaliter felicitatem atque beatitudinem nanciscamus: ast quoniam in eo statu, quo iam degimus, leges naturales omnes obseruare non possumus, vt mox videbimus; hinc etiam in praesenti statu fieri non potest, ut naturaliter felices atque beati reddamur, sed statim adparebit, nobis iam gratiam necessariam esse ad felicitatem atque beatitudinem adquirendam. Id circa, cum S. S. de praesenti statu loquatur, quae adstrinximus illi minime refragantur.

§. XXXVI.

Homines in statu integratis homines actu omnes leges naturales obseruandas obseruant. In statu integratis homines sunt feli- cies, & si in eodem perseverant, redundunt beati (§. 16.). E. in statu integratis homines adquirunt possessionem verorum bonorum (§. 15.), consequenter ea agunt, quae ipsis bona, ea que omitunt, quae ipsis mala sunt. Quam ob rem, quum leges naturales idem praecipiunt omnes (§. 27. Cor. 4.) conse- quens est, ut homines in statu integratis actu leges naturales obseruandas omnes obseruent. q. e. d.

§. XXXVII.

in illis non animantur. §. XXXVII.

In statu integritatis homines habent sufficientem cognitionem legum naturalium, viresque sufficientes ad illas obseruandas. 2) habent etiam cognitio- nem legum naturalium, viresque sufficientes ad illas obseruandas. sufficien- Etenim in statu integritatis homines actu legibus naturalibus obedientiam praestant omnibus, quae ipsis obseruandae sunt larum vi- tem cognitio- tionem il- (§. 36.). Jam autem hoc non possent, nisi haberent sufficientem cognitionem legum obseruandarum (§. 29.), atque vim sufficientem ad illas obseruandas (quod per se patet.). Ergo in statu integritatis homines habent sufficientem cognitionem legum naturalium, viresque sufficientes ad illas obser- uandas. q. e. d.

Schol. Formale cognitionis legum, quae hominibus in statu integritatis competit, non determino: potest esse distincta, potest confusa, immo etiam obscura esse cognitio, pro capacitate subiecti, si modo cognitio sufficientis est. Est autem sufficientis, si vera est atque homines ad agendum determinat, hoc est, *viva cognitio* late sumpta. Ita infantes vsu rationis nondum praediti ex cognitione sensitiva, immo obscura satisfecissent legibus naturalibus in statu integritatis, dum ea egissent, ad quae illos natura adhuc perfecta stimulasset. Interim patet ex dictis, homines in statu integritatis non opus habuisse revelatione legum naturalium, quippe quas iam iam ex lumine naturae cognoscere potuissent.

§. XXXVIII.

In statu integritatis non adiunt impedimenta, quae effici- 3) Non ad- rent, ut homines legibus naturalibus obedientiam praestare non possent. Etenim in statu integritatis homines actu omnes leges naturales obseruandas obseruant (§. 36.). Iam si impe- dimenta adiungantur, ut legibus naturalibus obedientiam praestare non possent, tunc certe non actu praestarent

legibus obedientiam. Hinc in statu integritatis non adsunt
impedimenta, quae efficerent, ut homines legibus naturalibus
obedientiam praestare non possent. q. e. d.

Cor. Ergo in statu integritatis neque in homine ipso, neque
in aliis hominibus, neque reliquis creaturis eius modi im-
pedimenta inueniri possunt.

4) nec col-
lisiones le-
gum. §. XXXIX.
*In statu integritatis nulla collisio legum naturalium adesse
potest.* Omnis enim collisio legum naturalium tantum eam
ob rationem cogitari potest, quia viribus nostris, in se ad
obedientiam illis praestandam sufficientibus, impedimenta
posita sunt. (§. 34.). Iam in statu integritatis eiusmodi im-
pedimenta non possunt adesse (§. 38.). Ergo in statu inte-
gritatis nulla prorsus legum naturalium collisio adesse potest
q. e. d.

Cor. Si qua collisio igitur legum naturalium cogitari debet,
in statu corrupto locum inuenire debet (per oppos.).

Schol. Sic patet, homines in statu integritatis naturali modo
felices atque beatos reddi, quia ibidem sufficientem co-
gnitionem legum naturalium obseruandarum, vim suf-
ficientem ad illas obseruandas non-impeditam habent,
adeoque actu leges obseruandas omnes obseruant, ob-
quam obedientiam, legibus praestitam naturalibus, fe-
lices et beati redduntur. Hic igitur homines non opus
habent satisfactione diuina atque redēptione, quippe
haec supponit transgressionem legum, quae in statu in-
tegritatis non obtinet.

Officium
naturale,
quid?

§. XL.
*Actio legibus conformanda officium: actio legibus na-
turalibus conformanda officium naturale dicitur.*

§. XLI.

§. XLI.

In statu integritatis homines officia naturalia obseruantur.) Obser-
omnia. Etenim in statu integritatis homines actu leges na-^{uant omnia}
turales omnes obseruant, quae ipsis obseruandae sunt (§.36.). officia na-
Ergo actiones suas legibus conformant omnibus. Quam^{turalia.}
ob rem, quum actio legibus naturalibus conformanda offi-
cium naturale dicatur (§.40.): manifestum est, homines in
statu integritatis officia naturalia omnia obseruare q.e.d.

Cor. Officia naturalia triplicis generis esse, nimurum officia
erga se ipsum, erga DEVUM, atque erga proximum, no-
tum est. Quum igitur in statu integritatis homines actu
omnia officia obseruent; *hinc obseruant omnia officia erga se,*
erga DEVUM atque erga proximum.

Schol. Haec, si cum officiis specialibus erga nos, erga DEVUM,
atque erga proximum conferre quis cupit, plures con-
clusiones inferre poterit utilissimas, quas vero omnes
pro instituti ratione euoluere non possunt. Quasdam
tamen adhuc addam, quas scopus propositus permittit.

§. XLII.

*In statu integritatis nullae laesiones, nullaque damna in-*⁶⁾ Hinc
ueniuntur. In statu integritatis homines officia erga alios^{non dan-}
omnia obseruant (§.41. Cor.). Ergo non committunt actio-^{nes, nec}
nem officiis erga alios repugnantem (per oppof.). Iam lae-^{damna,}
fio est actio officiis erga alios repugnans, et mala ex laesio-
ne laeso orta damna dicuntur. Ergo in statu integritatis nul-
lae laesiones, nullaque damna inueniuntur. q.e.d.

§. XLIII.

In statu integritatis defensiones locum non inueniuntur. Enim ⁷⁾ Nec de-
verò defensio est actus, quo quis media adhibet contra lae-^{defensiones.}
fiones. Iam in statu integritatis nullae laesiones inueniun-
tur

tur (§. 42.): hinc nec mediis opus est contra laesiones adhibendis; adeoque in statu integritatis defensiones locum non inueniunt.

Cor. Hinc nec ius defensionis in statu integritatis locum inuenit.

§. XLIV.

8) nec bel-
la.

In statu integritatis nulla inueniuntur bella. Nam bellum est status hominum, quo conatum efficacem habent, sibi inuicem mala inferendi. Iam in statu integritatis nullae laesiones, nullaque dama inueniuntur (§. 42.); consequenter nec actu homines sibi inuicem mala inferunt. Atque quoniam officia erga alios obseruant (§. 41. Cor.), habent etiam conatum efficacem officia haec obseruandi, adeoque non possunt conatum efficacem habere, sibi inuicem mala inferendi. Ergo in statu integritatis nulla bella inueniuntur q. e. d.

Cor. Ergo status integritatis est status pacificus (per oppos.)

§. XLV.

9) Nec
media co-
actua ad
obedienti-
am legibus
praefau-
dam.

In statu integritatis media coactua, quibus homines inducantur, vt officiis naturalibus satisfaciant, locum non inueniunt. In statu integritatis enim homines iam vltro officia naturalia omnia obseruant (§. 41.); consequenter nemo alteri denegat officium, quod ipsi debet. Quamdiu autem nemo alteri officia, quae ipsi debet, denegat, sed obseruat omnia, tamdiu mediis coactius, quibus alter, vt officia debita obseruet, induceretur, plane opus non est (quod per se clarum.). Ergo in statu integritatis media coactua, quibus homines inducuntur, vt officiis naturalibus satisfaciant, locum non inueniunt. q. e. d.

Cor.

Cor. Ergo homines in statu integritatis ex amore officia sua obseruant (per oppof.).

Schol. Exinde infra patebit ratio, ob quam in statu integratatis officia et iura perfecta locum non inueniant, quippe quae supponunt media coactiva.

§. XLVI.

Hactenus obligationem naturalem atque leges natu- Transitus ad statum corrumptum,
rales tam in se, quam in relatione ad statum integritatis conſiderauimus, atque exinde simul conditionem status integratais deduximus. Restat igitur in hoc capite, ut adhuc dicta ad statum corruptum adipicemus, atque illius conditionem exinde deducamus. Quoniam autem status corruptus est contradictorie oppositus statui integritatis (§ 10.), & praeterea oppositorum opposita est ratio (per Metaph.): hinc, quo breuitati studeamus, statim per consequentiam immediatam ex oppositione ea deducemus, quae exinde concipi possunt.

§. XLVII.

Hinc de *statu corrupto hominum sequentia patent:* Status cor-
I) *In statu corrupto homines non a clu obseruant leges naturales omnes, quae ipsis obseruandae sunt (§. 36.), et ob id sunt infelices (§. 35.).* rupti conditio.

II) *In statu corrupto homines non habent sufficientem cognitio- nem legum naturalium, nec illarum, quas cognoscunt, sati- viuam habent cognitionem (§. 37.)*

III) *Fieri potest ergo, ut homines in statu corrupto ad aliquid obligati sint, quod tamen ipsis non cognoscunt (per n. praec. et §. 27.)*

IV) *Vis hominum, quae in se sufficiens erat, ad obedientiam legibus naturalibus praefandam, fit insufficiens ob impedimenta, quae in statu corrupto adsunt (§. 38.).*

Cor.

Schol. Sunt haec impedimenta.

1) *In homine ipso*, quippe qui neque cognoscit amplius leges omnes, neque ob corruptam voluntatem, eas, quas cognoscit, obseruare studet.

2) *In aliis hominibus*, qui non solum ea officia, quae nobis debent, nobis non praestant, verum etiam studio adhuc alia impedimenta nobis ponunt, vimque nostram infringere adlaborant, quo minus legibus obedientiam praefare possimus.

3) *In aliis creaturis animalibus* et nexus mechanico, quae hominibus corruptis nocua sunt.

V) *In statu corrupto adest collisio legum naturalium* (per n. IV. et §. 39.). Vide tamen §. 34., quo propositio rite intelligatur.

VI) *In statu corrupto homines non obseruant officia erga se ipsum, erga DEV M, atque erga proximum sufficienter* (§. 41.)

VII) *In statu corrupto laesiones, et damna* (§. 42.) *defensiones* (§. 43.) *immo bellum omnium contra omnes* (§. 44.) *locum inueniunt.*

Schol. Atque sic homo homini diabolus est in hoc statu.

VIII) *In statu corrupto mediis coactius opus habemus, quibus* *alios, vt officia, quae nobis debent, expleant, cogere possimus* (§. 45.).

§. XLVIII.

Actualitas eiusdem. *Homines iam non sunt in statu integritatis sed corrupto.* Experiencia sufficienter edocemur, nos non amplius habere sufficientem cognitionem legum naturalium. Scimus quidem legem generalem: fac ea quae te perficiunt, et omittit ea, quae te imperfectum reddunt, sed ad causas individuales

Ies eandem applicare saepissime non possumus. Atque ex eo iam iam manifestum est, nos non amplius habere vim sufficientem ad obedientiam legibus naturalibus praestandam, nec proinde actu omnes obseruare posse. Vnde satis aper-tum est, nos non amplius esse in statu integritatis, sed corrup-to (§.47.) q. e. d.

Schol. Potest haec propositio pluribus modis demonstrari. Omnia enim quae §. 47. adduximus exhibent descriptionem status nostri praesentis, atque quum singula, momenta experientia iam cognoscamus, hinc ex singulis momentis poterit propositio haec demonstrari.

Cor. Hinc omnes defectus, quos hominibus in statu corrupo-pto competere demonstrauimus (§.47.), nobis iam com-petunt.

§. XLIX.

Homines ob lapsum se in statum corruptum posuerunt. Enim A lapsu de-vero homines actu sunt in statu corrupto (§.48.). Iam ve-pendet, ro a DEO cum statu integritatis creati sunt (§. 14.), et tan-tum ob actiones suas in statum corruptum transfire poterant (§.14. Cor. 2.). Ergo homines ob actiones suas se in statum corruptum posuerunt. Iam talis actio, qua homines se ex statu integritatis in statum corruptum ponunt, vocatur lapsus (§. 14. Schol.). Ergo homines ob lapsum se in statum corruptum posuerunt q. e. d.

§. L.

Status corruptus nobis physice & moraliter imputandus Physice at-est. Etenim ob lapsum in statum corruptum nos posuimus que mor-aliter nobis (§.49.). Quam ob rem cum lapsus nobis physice et morali-imputan-ter imputandus sit; patet, statum corruptum nobis physice et d[icitur] est.

Schol. Fateor, difficilem esse doctrinam de imputatione lapsus, praeprimis, de morali imputatione. Omnes autem dif-ficul-

Cap. II. De obligatione atque lege naturali

42

ficultates peperit iusto specialior notio imputationis, vulgo recepta, pro qua si generalior substituitur, quae tamen adhuc ypsi loquendi conformis est, iterum concidunt difficultates. Atque tunc etiam ex principiis naturalibus demonstrari potest. Demonstrationem vide in *Consensu naturae et gratiae*, a fratre meo edito, Part. II. §. 747-779.

Cor. Ergo omnia, quae ob statum corruptum nobis competunt, etiam physice et moraliter nobis imputanda sunt.

§. LI.

Etiam ignorantia legum.

Ignorantia legum atque officiorum naturalium nobis moraliter imputanda est.: etenim in statu corrupto tantum non habemus sufficientem legum atque officiorum naturalium cognitionem (§. 47. n. II. et III.). Ergo ignorantia legum atque officiorum naturalium ob statum corruptum nobis competit. Iam quae ob statum corruptum nobis competit, ea moraliter nobis imputanda sunt (§. 50.). Ergo et ignorantia legum atque officiorum naturalium nobis moraliter imputanda est. q. e. d.

Cor. 1. Quum autem haec ignorantia legum sit causa ob quam eas obseruare non possumus, consequenter causa infelicitatis nostrae (§. 35.), quam euitare debemus (§. 27. Cor. 4.); hinc adhuc obligati sumus ut cognoscamus leges et officia nostra, atque illis conuenienter, viuamus, quantum fieri potest.

Cor. 2. Ergo studeamus illas leges certo cognoscere, quas certo adhuc cognoscere possumus, de reliquis vero in probabilitate atque praesumptionibus subsistendum tam diu, donec contrarium evidentissime probari possit (per legem exceptionis).

Atque collisione earum nobis moraliter imputanda est.

§. LII.
Omnis collisione legum atque officiorum naturalium nobis imputanda est moraliter. Etenim collisione legum atque officiorum

orum naturalium tantum in statu corrupto adesse potest, et adest (§. 39. et 47. n. V.). Quam ob rem quum nobis omnia moraliter imputanda sint, quae nobis ob statum corruptum competit (§. 50.); etiam omnis collisio legum atque officiorum naturalium nobis moraliter imputanda est. q.e.d.

Cor. 1. Quum ergo ob collisionem legum non omnibus legibus obedientiam praestare possumus (§. 31.): *hinc nobis imputandum est moraliter, quod in statu corrupto non omnibus legibus naturalibus obedientiam praestare possumus.*

Cor. 2. Quia autem, si leges naturales non obseruamus, easdem violamus (§. 29 et princ. exclus. med.); adeoque infelices reddimus (§. 35.). *Hinc infelicitas, quae non in statu corrupto premit, nobis moraliter imputanda est.* (p. Cor. 1.)

§. LIII.

Exceptiones, ob collisionem legum atque officiorum naturalium instituenda, sunt leges in statu naturali corrupto: Nam ob collisionem legum atque officiorum naturalium impossibile nobis est, ut omnibus legibus atque officiis illis obedientiam praestemus (§. 31.). Quam ob rem, cum impossibiliūm quā talium non sit obligatio moralis (§. 24. n. 2. & 3. & §. 3. Cor. 1.); hinc & quatenus leges atque officia naturalia collidunt, eatenus nulla carum remanet obligatio moralis. Lex autem atque officium quibus nulla respondet obligatio moralis, non amplius est lex nec officium (§. 27. & 40.): consequenter et leges naturales atque officia naturalia, quatenus collidunt, non amplius manent leges atque officia naturalia. Quoniam autem adhuc tamen obligati sumus, ut legibus atque officiis naturalibus etiam in statu corrupto in tantum convenienter viuamus, in quantum adhuc fieri potest (§. 51. Cor. 1.). Hinc in statu corrupto obligati sumus, ut ob collisionem legum atque officiorum naturalium exceptiones instituamus (per def. except.). Iam regula cui quis actiones suas

Leyes in
statu cor-
rupto.

attemperare obligatur, dicitur lex (§. 27.). Ergo exceptio-
nes, ad quas in statu corrupto, ob collisionem legum atque
officiorum naturalium, instituendas obligamur, fiunt leges;
atque quoniam in statu naturali corrupto rationem habent
sufficientem; hinc fiunt leges naturales. q. e. d.

§. LIII.

Differunt
a legisbus
in statu in-
tegritatis.

Alia de-
monstra-
tio,

In statu corrupto alias accipimus leges naturales atque in statu integratatis. In statu corrupto exceptiones, quas ob collisionem legum atque officiorum naturalium instituere debemus, fiunt leges naturales (§. 53.). Quam ob rem, quum exceptiones non sint ipsae leges, a quibus exceptio fit; patet, nos in statu corrupto alias accipere leges naturales, atque habuimus in statu integratatis. q. e. d.

§. LV.

Eadem propositio etiam ita demonstrari potest: Omnis lex naturalis concipienda est ex statu morali hominis (§. 27. Cor. 5.). Ergo differe debent leges naturales, prout status morales naturales differunt. Iam status integratatis differt a statu corrupto hominum (§. 10. 16. 17. et 36-47). Ergo et leges naturales in statu integratatis differre debent, ab iis, quae in statu corrupto naturales sunt.

Schol. Interim priorem demonstrationem ea ex ratione praefero, quoniam statim manifestat, in quantum leges naturales in statu integratatis, a legisbus naturalibus in statu corrupto differant.

Cor. 1. Quum autem leges inuoluant obligationem (§. 27.). Hinc et in statu corrupto alias accipimus obligationes, atque habuimus in statu integratatis.

Cor. 2. Porro, quia actio legibus conformanda officium est (§. 40); hinc et alia accipimus officia naturalia in statu cor-
pto atque habuimus in statu integratatis.

Cor.

Cor. 3. Atque quum officia sint triplicis generis, erga se ipsum, erga DEUM, atque erga proximum. Hinc alia officia naturalia erga nos, erga DEUM atque erga proximum habemus in statu naturali corruptio, atque integratia.

Schol. Exinde cuilibet patebit facile, quod, si officia naturalia erga nos, erga DEUM atque erga alios rite euoluerem vellemus in Jurisprudentia naturali, illa binis sectionibus pertinet debet remanere, quarum altera ea officia complectentur, quae in statu integratia, altera ea, quae in statu corrupto sunt naturalia. Evidem hoc concedo, utramque tractationem mancam adhuc fore; interim tamen non adeo manca foret, atque tractationes eorum Doctorum, qui prorsus ad hanc differentiam non attendunt.

§. LVI.

Nos ex lumine naturae sufficientem cognitionem earum obli- Nec ta-
gationum, legum atque officiorum naturalium adquirere non pos- men cas
famus, quae nobis in statu corrupto competit. Enim vero obli- sufficienter
gationes, leges atque officia naturales et naturalia, quae nobis ex lumine
in statu corrupto competit, per exceptiones ob collisionem naturae co-
legum naturalium in statu corrupto instituendas determina- gnosci-
nantur (§. 54). Iam nos in statu corrupto non amplius habe- mus, sufficienter cognitionem legum naturalium in statu in- gnosci- turae
tegritatis obseruandarum (§. 47. n. II); atque hinc nec colli- fiones illarum in statu corrupto sufficienter perspicimus (§. 31.). Cum autem exceptiones pro condione collisionis instituendae sint (per Metaph.), hinc nec exceptiones ob collisionem legum naturalium in statu corrupto instituendas suf- ficienter ex lumine naturae cognoscimus. Quam ob rem cum obligationes, leges, atque officia naturales et naturalia, quae nobis in statu corrupto competit per has exceptiones determinentur; manifestum est, nos ex lumine na-

turas sufficientem cognitionem earum obligationum, legum atque officiorum naturalium adquirere non posse, quae nobis in statu corrupto competitunt.

Cor. 1. Patent exinde tenebrae mentis nostrae circa cognitionem obligationum, legum atque officiorum naturalium nostrorum. Habemus tantum fragmentariam cognitionem legum naturalium in statu integratis obseruandarum; fragmentariam quoque earum legum, quas in statu corrupto, in quo tamen degimus obseruandas habemus.

Cor. 2. Porro ex eodem fundamento constat, nos iam naturaliter ne quidem ea officia naturalia obseruare posse, quae nobis in statu corrupto competitunt. En nouam infelicitatis nostrae demonstrationem.

Schol. Immo si ponamus etiam, nos omnes leges naturales atque officia naturalia, quae nobis in statu corrupto competitunt, sufficienter scire, ponamus et hoc, nos omnia obseruare posse et actu obseruare, quid inde? felicitatis quidem cuiusdam participes redreremur (§. 35); ast fane eiusmodi felicitatis, quae reuera cum infelicitate coniuncta esset, atque cum illa felicitate, quae in statu integratis obtinet, minime comparanda. Partim enim leges, quas iam obseruandas habemus, non adeo perfectae sunt, atque priores, quippe ex statu corrupto nostro fluunt, atque hinc et felicitas, ex illarum obseruancia oriunda nobis, longe minor esset; illa, quae in statu integratis obtinet, et esset felicitas, quae statui nostro corrupto adcommodata est, corrupta scilicet; partim praesentes leges sunt tantum exceptiones a prioribus (§. 54); adeoque has obseruando simul priores saltim ex parte violamus (§. 29). En demonstrationem de eo, quod felicitas, de qua loquimur, reuera cum infelicitate coniuncta esset.

§. LVII.

§. LVII.

Homines in statu corrupto sibi ipsis relieti felicitatem suam In statu adquirere non possunt. Etenim si sibi ipsis relieti felicitatem suam adquirere deberent, legibus naturalibus omnibus obseruandis obedientiam praestare deberent (§. 35.). Atqui hoc non possunt in statu corrupto (§. 47. et 55. Cor. 2.). Ergo nec sibi ipsis relieti felicitatem suam adquirere possunt q. e. d.

Cor. Ergo homines in statu corrupto sunt et manent infelices, et si in eodem perseuerant damnantur.

Schol. Patet facile, infelicitatem eo maiorem fieri, quo magis leges naturales violantur. Si autem iterum ad felicitatem ad surgere deberemus, primo impedimenta remouenda essent. Erant autem impedimenta in homine ipsi, aliis hominibus, creaturis, atque nexus mechanico (§. 47. Schol.). Haec igitur remouenda essent. Quod impedimenta in homine ipso adtinet; vidimus primo illi deficere sufficientem cognitionem legum atque officiorum naturalium: vnde intellectus primo emendandus est, atque eae leges naturales, quas ex lumine naturae non amplius cognoscere potest, illi promulgandae sunt. Hinc opus habet revelatione divina, (conf. §. 37. Schol). Deinde voluntas corrupta est, ita quidem, ut licet etiam meliora videat proberetque, tamen deteriora sequatur; vnde et haec sanctificanda est, quo seria et efficax fiat ad obedientiam legibus reuelatis praefandam. Denique et media illi suppeditanda sunt, quibus voluntas efficax etiam efficiens reddi potest, adeoque vires supernaturales essent ipsi necessariae. His omnibus positis etiam, adhuc tamen impedimenta in aliis hominibus, creaturis, atque in nexus mechanico superflunt, quae proinde etiam remouenda essent. Vnde facile constat, vim infinitam, DEI nimirum, ad haec impedimenta remouenda requiri, adeoque et a

DEO

DEO tantum ex gratia felicitatem iterum esse exspectandam. Cui haec considerare lubet, ex facili perspicet, Iurisprudentiam naturalem, quoquot naevis etiam laboret, tamen non abducere a DEO, atque ad naturalis-
mum nos trahere. Potius nos adducit ad DEUM, ad re-
uelationem diuinam, ad gratiam DEI adprehendendam,
atque ad felicitatem a gratia sola iterum exspectandam.

Schol. 2. Possem hic facile plura adhuc theorematum hoc perti-
nentia et maximi momenti deducere, sed vereor, ne tra-
ctatio nimis prolixa fiat molesta. Hinc hic dissertationi
priori impono.

FINE M.



ULB Halle
002 729 415

3



Sb.



Pr. g. A. num. 3
1750. 9. 6.

14

COGITATIONES PHILOSOPHICÆ
DE IURISPRUDENTIA NATURALI
IN STATU INTEGRITATIS ET CORRUPTO,
PRÆPRIMIS DE ORIGINE IURIS PERFECTI ET
IMPERFECTI EX STATU CORRUPTO
DISSERTATIO PRIOR, INAUGURALIS
IN QUA AGITUR
DE STATU INTEGRITATIS ET CORRUPTO,
ET DE OBLIGATIONE ATQUE LEGE NATURALI
AD HOS STATUS RELATIS
QUAM
PRÆSIDE
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ PRO-RECTORE
DN. JOANNE JOACHIMO LANGIO
MATHEMATICUM PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, NEC NON
ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSORUM ET REGIÆ
SCIENTIARUM PORUSSICÆ MEMBRO
CONSENSU INCLYTI PHILOSOPHORUM ORDINIS
PRO GRADU MAGISTRI
DIE APRILIS 1750.
PUBLICO ERUDITORUM EXAMIÑI SUBMITTIT
H. L. Q. C.
AUCTOR ET RESPONDENS
CHRISTIANUS WEBER
ISLEBIO-MANSFELDENSI.
HALÆ MAGDEBURGICÆ
EX OFFICINA FRANCKIANA.

1750. 9. 6.